

Wc
538



H. 67, 29

Wc
538



In
Secundum, secundumq̄
RECTORATUM
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI,

DN. JOHANNIS
ERNESTI DUCIS
SAXONIÆ, LANDGRAVII
THURINGIÆ, MARCHIONIS
MISNIÆ. &c.

devota acclamatio
JOHANNIS SUEVII
D. J. U.

Ad diem 21. Febr.



JENÆ,
TYPIS LIPPOLDINIS,
Anno 1609.



102
101

IN

natalem Illustrissimi Principis ac Domini,
DN. JOHANNI ERNESTI, Ducis Saxonæ, &c.
Rectoris Magnificentissimi.



Rorogat auspiciis faustis dum Sala Lycæi,
JAN-ERNESTE, tibi scepra gerenda sui.
Hanc simul & lucem celo nitidissimus alto
Portat ab Eois Lucifer ortus aquis;
Quâ superas diæ venisti lucis in auras
Matris prima quies illiciesq; tuæ.
Quintus ab undecimo qui te capit annus in orbem
Hunc & post læti mille alii redeant.
Adspicis, ut studiosa manus totusq; Senatus
Non possit tacito gaudia ferre sinu.
Vivat Jô, & Jô vivat, vox una frequentat,
Vivat Jô Rector, vox juvenum una sonat:
Vivat Jô vox una sonat, rata vota secudent,
Atq; aures superi dent faciles precibus.





Num præstet belli tenuisse fideliter artes,
 Et quo sæva solent prælia more geri;
 An vero doctis animum emendare libellis,
 Et dare pacatæ tempora cuncta togæ,
 Dicere fert animus: mecum decurre laborem
 Phœbe, fave ceptis Dia Minerva meis.
 Tu vatem, tu Diva mone; componere pacem,
 Ac aptare manus effera in arma, tuum est.
 Tu quoq; bella tuo qui torques numine, Mavors,
 Mater in Odrysiis quem tulit alma jugis;
 Lenis adesse velis tua numina ritè colenti,
 Es Deus, æquus erit, quem tibi quæris, honos.
 Non ego contemno tua facta, ingentia facta,
 Nec duco meritis illa minora suis.
 Non sinit hoc omnes per terras didita fama,
 Aurea quæ tollit nomen ad astra tuum.
 Arrogo nil aliis; nolo tibi fingere laudes;
 Quacunq; ex merito laus venit, æqua venit.
 Nec minus Heroum genus ac magnū incrementum,
 JAN-ERNESTE, meis lenis ades numeris.
 Belli ac pacis Amor, pacem præferre vel arma
 Cognosce, Et quo stent nomine quæq; suo.

A :

NUM



Nunc simulacra toga præbet tibi SALACIERE,
 Auspiciis faustis continuatur opus.
 Pendeat illa virum series viden omnis ut abste!
 Te tacitis juvenes luminibusq; notent!
 Oris lætus honos, pulcroq; in corpore virtus
 Nemperapit, quævis nosq; vovere jubet.
 Temporibus fortuna suis sua bella reservat:
 Det Deus ostendant te quoq; bella virum.
 In mare sed quid aquas porto? Tentlebius ille
 Et patria & gentis lucida stella sua?
 Historia & Themidos sacer Hortlederus ocellus,
 Erudiunt monitis promptius illa suis.
 Non semper pelagi vitam committimus undis,
 Sed trabe vel qua vis currere saepe juvat.
 Quemq; suis spaciis natura coërcuit, inde
 Ad studii fertur semina quisq; sui.
 Aeschyleo illius adsurgunt verba cothurno,
 Huic soccis currit Musa jocosa suis.
 Hunc numeros & verba doces Venusine poëta,
 Et metri monstras liberioris iter.
 Diversos diversa juvant: sua quemq; moretur
 Insita vis animi, quod petit, inde feret.
 Possumus haud omnes primas tenuisse, secundas
 Situleris, dignuste comitatur honos.

105 201
Praefertur reliquis superi Jovis armiger ales,
Non minus at laudem Dauias ales habet.
Mæonides cum vate sacro, quem Mantua partu
Edidit, implevit Solis utramq; domum.
Te quoq; cum Nasone sacro, divine Properti,
Fert ultra hybernos fama Borysthenidas.
Me, si magna sequor, nec fas mihi tangere metam,
Subleuet, in magnis quod voluisse sat est.
Ad propiora vocor: tempus dare navibus Austros,
Exiguam puppim, quæ vocat, aura ferat.
Vivendi leges dat consuetudo potentes,
Ocia sive sequi, sive quis arma velit.
Sæpius hic pluvio spaciosas sub Jove noctes
Ducit, & in rigidâ membra reponit humo;
Ille sed in studiis consumens mollibus ævum,
Sublare contemnit frigora longa suo.
Hic audit lituos & acuto cornua cantu,
Quæq; ferore boant tergora rauca sono;
Illius mulcent aures citharæq; chelysq;
Et citharæ blandis & chelys apta modis.
Hic agros passim ferro populatur & igni;
Dum sibi grassanti cuncta licere putat.
Ille sed irriguas Sophia digressus in hortos,
Ad causas discit cuncta referre suas.

A 3

Immi-

Pra-

Immiscet superis illum victoria præpes,
 Ense mori nunquam parta trophæa sinunt.
 Hic sed majus opus movet, & quò vincere se ipsum
 Est majus, tanto major & hic fuerit.
 Nec vero magis hic, minus at laudabitur ille;
 Digna labore suo præmia uterq; ferat.
 Hunc juvat imperii fines proferre; sed illum
 Affectus stimulis imposuisse modum.
 Hic capere hostiles variis incursibus urbes
 Novit, & æratas vireserare fores;
 Ille regit contra populos sub legibus æquis,
 Ut placidam vitam vir mulierq; colant.
 Hic memorat, quos ante diem transmiserit Orco,
 Vulnera quæ dederit, quotiè quibusve modis;
 Ille refert, quoties verbis excusserit enses,
 Jam quibus armârat præda vel ira manus.
 Militis est usus nullus, nisi bella gerantur,
 Abstuleris bellum? milites usus abit;
 At longos studiis quem juvit condere soles,
 Utilis hic paci militiaq; simul.
 Bella semel profunt, sed profunt ocia semper,
 Ocia maturis cognita judiciis.
 Non aciem nossent homines, non prælia Martis,
 Non, qui sulphureo spargitur igne, globum.

Non

Non, variare vices, speculari ex turribus hostem,
 Non, agere hostili cunctaq; ferre manu?
 Si memores ortus pulcro se more tenerent,
 Siq; Dei vellent iussa verenda sequi.
 At suus esset honos doctis, at laude vigerent,
 At ferrent curis præmia digna suis.
 Vivendum justè semper foret, inde per artes
 Quodcunq; est vitæ, cultius & melius.
 Ocia Phœbus amat, sed poscunt ocia pacem,
 Armata Phœbo pax reparanda manu est.
 Cum furit indomitus sævis Gradivus in armis,
 Non licet in studiis molliter esse suis.
 Quæritur ancipiti quirem decernere ferro
 Ausit, & optatam ferre paratus opem.
 Omnia vastaret truculentus cadibus hostis,
 Præsidii caderent oppida nuda suis.
 Iret in adversos nisi miles fortibus ausis,
 Armiger armigeras consereretq; manus.
 Tolle bonas artes nunc, & fer ad æthera Musas,
 Nempe cruentato, quod juvat, ense venit.
 Non soli ista tibi debetur gloria miles,
 Tune putas solis viribus ista geri?
 In partem socii Phœbus venit ipse laboris,
 Et tua consiliis temperat arma suis.

Haud

on



108 501
Haud felix tibi cessit opus sine numine Phœbi,
Ille quidem nullâ vi valet, arte valet.
Testis Miltiades, testis, quem Græcia tollit
Laude, Polymniades, testis & Aemathius.
Ipse Neoclides sic Persica contudit armis
Arma suis, Salamis nunc quoq; nomen habet.
Musarum auspicijs Albana ad sidera turrets
Crevere, & rerum maxima Roma fuit.
Quid referam Decios? quid, pectora dura, Catones?
Quid referam fasces, Brute severe, tuos?
Tantalides optare sibi quàm sæpe solebat,
Nestora qui possent ore referre, decem!
His sibi spondebat faciles in Pergama vires,
Fortunam belli consilijsq; parem.
Nempe quod hi nossent verbis accendere Martem,
Reddere militibus qui fuit ante vigor.
Forsan Troja fores & adhuc tua mœnia starent,
Mœnia stelliferi nubibus æqua poli.
Militia nisi Dulichius pars una fuisset,
Ille fuit fati causa caputq; tui.
Dicere plura velim, sed dicere plura volentem,
Carminibus finem ponere Phœbe jubes.
Hunc ponam, majora dies ventura reservat,
Suspendo citharam cum citharâq; lyram.

F I N I S.

st.

nes?

?

em,

t,

m,

ULB Halle 3
004 968 433



f

V017





Nunc si
 Ausp
 Pendeat
 Teta
 Oris latu
 Nem
 Tempori
 Det
 In mare
 Et pa
 Historia
 Erv
 Non sem
 Sed
 Quemq
 Ad
 Aeschyle
 Hu
 Hunc n
 Et
 Divers
 Ins
 Possum
 Si

L A ciere,
 us.
 ut abste!
 potent!
 virtus
 rejubet.
 ervat:
 lla virum.
 lebius ille
 ia?
 rus ocellus,
 suis.
 us undis,
 ejuvat.
 inde
 sui.
 burno,
 suis.
 sine poëta,
 :
 nq moretur
 de feret.
 isse, secundas
 onos.

PRA-

